

2031

C O D I C E S

2032

nu. Benignam sane praestaret operam Exemplar istud ad numerosa, quibus Editio scatet, menda tollenda. En specimen. In Epistola addit Codex: *quatenus memoriam tui omnium orationibus liceat iugiter interesse.* In Responso lege *Petens vos pro Patiens. Vento sancti Spiritus pro spem seminis.* In Praefatione a Deo abstractam pro *ideo. gemma auro pro aurum gemma.* In Opere c. 1. in qua agitur pro in quo. C. 2. a quatuor pro quatuor. Qui ad missam pro qui ad Vesperas. A diabolo liberat. pro liberans. &c. Neque sententiarum collocatio ubique sibi respondet. Divisio in IV. Libros non notatur, Titulique Tractandorum in solo margine adsunt.

DCCCXXV.

R. 3104 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 90. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas eleganter descriptus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij S. Dorothee in viena* haec habet: I. *Incipit liber de missarum mysteriis editus a Lothario sancte romane ecclesie dyacono cardinali.* Et ab alia manu: *Innocentius de officio missae*, nempe III. istud enim nomen *Lotharius* creatus Pontifex adsumsit. Retuli bis Tractatum hunc *Vol. I.* alias in VI. Libros divisum, quorum in praesenti Exemplo nulla mentio folis Rubricis Textum distinguuntibus. Contuli eum cum Editione *Opp. Innocentii Colon. 1552.* deprehendique ab eo abesse totam Expositionem

Orationis Dominicae, quae in Edit. L. V. *Capita XVII — XXIIX.* conficit, et decurtatam esse *Libelli Conclusionem*, quae post Edit. verba: *ut infra breue temporis spatium nec ad —* ita praecipitat: *me uersus uix finire que cogitavi valui.*

II. fol. 39. *Postilla super Cantica.* Incipiunt: *Osculetur me &c. Descensus ad sententiam trahitur de illa Glosa. Omnes anime nociones &c.* Ita et per decursum *Glossam Ordinariam* compilat ignotus Autor. Idem instituit agere circa *Parabolas* et *Ecclesiasten*, sed adhaesit in Prooemiis.

III. fol. 63. absque inscriptione eodem modo illustrat *Epistolas VII. Canonicas* ita exorsus: *Juxta numerum euangelistarum IIII^{or} cognouimus fuisse auctores canonicarum epistolarum. S. iacobus. petrus. iohannes. et iudas &c.*

Tabulae Codicis interius conuestitae sunt conscissis laciniis Commentarii cuiusdam Rabbinici, in quo sermo de קול דמי אחיך עב; קין שהרג את אחיו; Verum nulla linea integra.

DCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3161 XIV. Folior. 78. 8. per duas columnas bene, sed non una manu scriptus, rubro distinctus, et quondam *Monasterij S. Dorothee wienne* ita init: *Incipit prologus de diuino officio domini alberti de ordine predicatorum episcopi Rathispon.* Initium: *Ecce ego declinabo in vos sicut flumen pacis &c. De Sacri-*